



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicas & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

CIV. De quatuor impedimentis confeßionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

*Sed suam didicet ad Dei voluntatem erigere. Morabitur in hereditate Domini, sicut ei ejusdem Domini voce promittitur, cum dicitur n: Terram in qua dormis tibi dabo, hoc est, quietem istam ad quam pervenisti labore tuo & munere meo, stabilem tibi faciam atque perpetuam. Quod autem subjungit, & semini tuo, sic possumus intelligere: ut non solum spiritui detur tranquillitas ista & hic & in futuro; sed etiam semini tuo, id est, operibus tuis dabitur corporis tui glorificatio.*

## S E R M O C I V.

*De quatuor impedimentis Confessionis.*

**Q**uartuor sunt quae impediunt confessionem, pudor, timor, spes, despe-  
ratio. Quosdam enim impedit pudor, qui scilicet pro sola confusio-  
ne dicere erubescunt peccata quae commiserunt. De quo per Salomonem  
dicitur *a*: *Est confusio adducens peccatum.* Quo contra de his qui confiten-  
tur, iterum dicitur *b*: *Est confusio adducens gloriam.* Quos etiam commen-  
dat Propheta dicens *c*: *Confessionem & decorem induisti.* Et alibi *d*: *Con-*  
*fessio & magnificentia opus eius.* Alios impedit timor. Timent enim si con-  
fiteantur, ne gravis eis poenitentia injungatur: & hos arguit Iob dicens *e*:  
*Qui timet pruinam, irruet super eum nix.* Sunt autem nonnulli qui in hoc  
mundo adhuc aliquid concupiscunt, nec putant se adepturos quod deside-  
rant, si hominibus quales sint, innotescant. Horum confessionem impedit *Spes.*  
*Spes*, id est, cupiditas potiendi desiderii: talibus comiminatur Dominus *f* Matt. 24. b  
in Evangelio *f*, *V&e pr&egrave;gnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Sunt item  
alii qui nil horum verentur, sed solum hoc timent quia post peccatorum  
confessionem ab ipsis abstinere minimè possent. Et his obest *Desperatio.*  
Quibus non incongrue illud potest aptari. Peccator eum venerit in pro-  
fundum malorum, contemnit *g*. Fit vero nonnunquam ut haec omnia simul  
confessionem impedian. Sed qui quartuor his malis premitur, recte jam  
in monumento jacet, & velut ille Evangelicus quatriduanus sicut *h*.  
Scriptum est enim *i*: *A mortuo velut qui non sit, perit confessio.* Quod si is  
mortuus est qui non confiterit, utique reviviscet qui confitebitur. Veniat  
ergo Iesus, & dicat *veni foras* *k*. Et ad vocem ejus illico suscitabitur mor-  
tus. Excipiat hic noster mortuus exhortationem, & non differat con-  
fessionem.

Dicatur ergo illi quem pudor afficit: Cur te pudet peccatum tuum  
dicere, quem non puduit facere? Aut cur erubescis Deo confiteri, cuius o-  
culis non potes abscondi? Quod si forte pudor est tibi uni homini & pecca-  
tori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus  
exposita tua conscientia patebit? Haec itaque tria proponenda sunt contra  
pudorem, scilicet consideratio rationis, reverentia intuentis Dei, compa-  
ratio majoris confusionis. Similiter contra timorem opponenda sunt

Cccc 3

*Antidotum  
pudoris.*

tria

*Quatuor im-  
pedimenta con-  
fess. Pudor.*

*a Eccl. 4.c*

*b Ibid.*

*c Psal. 103. a*

*d Psal. 110. a*

*Timor.*

*e Iob. 6. c*

*Spes.*

*f Matt. 24. b*

*g Prov. 18. a*

*h Ioan. 11. c*

*i Eccli. 17. c*

*j Iean. 11. f*

Speci.

Desperationis.

tria. Considerandum enim est quām sit longā pœna inferni, quām gravis quām infractuosa. E contrario verò præsentis temporis penitentia brevis est, & levis, & fructuosa. Contra spem quoque itidem tria opponuntur, bona scilicet futuri sæculi, præsentis vitæ bonis majora, certiora, durabiliora; ad quorum comparationem quicquid in hoc mundo desiderari potest, modicum est & incertum, &, ut ita dicam, momentaneum. Ita contra desperationem vincendi peccatum, tria sunt remedia. Primum est vigor ipse propositi boni, quem assumit ex Confessione. Secundum est gratia Dei, quam meretur ex humilitate. Tertium est auxilium, quod ex ejus habet cui confitetur compassionē.

## SERMO CV.

## De requisitis ad iustificationem.

*In duobus consitit nostra salus, in Iustificac. & Glorificac. a Ela. 64.2*

b Rom. 3.1

c Matth. 5.9

*Ad iustificationem qua requirantur.*

d Matth. 5

**D**uo sunt in quibus consistit nostra salus. Iustificatio & Glorificatio. Altera initium, altera perfectio est. In illa labor, in hac autem fructus laboris est. Et nunc quidem justificatio fit per fidem: nam glorificatio erit per speciem. Quanta autem sit in futura vita glorificatio sanctorum, manus interim non potest attingere intellectus. De illa enim scriptum est, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, &c.* Hac ergo interim omissa, quoniam vires nostras excedit, de justificatione quæ nunc agitur, aliquid ad ædificationem Fratrum nostrorum, quod necessarium visum est, loquamur. Ipsa est enim via, per quam fit transitus ad glorificationem, dicente Apostolo b. *Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & iustificavit. Quos autem iustificavit, hos & magnificavit.* Neque enim poterit obtineri magnificatio, nisi justificatio præcesserit: cum ista meritum, illa præmium sit. Hoc in Evangelio docuit Dominus, qui cum Discipulis evangelizaret regnum Dei, primum eis proposuit iustitiam, dicens: *Nam nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum & Phariseorum: non intrabitis in regnum cœlorum.*

Notandum autem, quod sicut in illo beatitudinis regno præsentem se electis suis exhibebit Dominus ad glorificationem, ita etiam se eisdem ipsis exhibet in via peregrinationis ad justificationem, ut à quo scilicet glorificandi sunt per speciem, ab ipso prius iustificantur per fidem. Et quidem tria sunt à quibus abstinere debent quicunque iustificari desiderant. Primo utique ab operibus pravis, secundo à carnalibus desideriis, tertio à curis sæculi. Item tria sunt quibus debent insistere, quæ etiam continet sermo Domini in monte d, eleemosyna, jejunium, oratio. Sic enim adimpletur iustificatio, dum ab interdictis vitiis abstinent, & bona quæ præcepta sunt si deliter exerceant. Opponantur ergo pravis operibus opera misericordia, contra carnalia desideria adhibeantur jejunia, & pro curis sæculi succedat amor Dei, & frequentia orationis.

SERMO